



**S**ebastianus ex honesta familia Besserorum VI  
mæ natus, & in omni genere uirtutū educatus  
est. Is à pueris operam literis dedit, atq; postea rerū  
politicarum administratione clarissimus euasit. nā  
ob raram animi prudētiā in senatum cooptatus,  
singulari dexteritate res sibi commissas expediuit,  
& suam patriā p̄claris uirtutib⁹ exornauit. Vn  
de s̄epiū in Imperij comitijs comparuit, & ut sal  
ua religione pax conseruaretur, suasit. Itaq; ferunt  
illustriſſ. principem Philippum Landgrauium ali  
quoties dixisse, Duos esse in Germania prudentes  
uiros, quibus uel maxima respubl. tutio committi  
posset. nimirum hunc Sebastianum Vlmensem, &

Iacobum Sturmium Argentinensem. Erat is etiā rerum bellicarum haud  
ignarus. Itaq; cum bellum Smalkaldicum 1546 inchoatum esset, Sebastianus  
parti militum p̄fectus, exercitui fortiter adfuit, atq; suis consilijs nihil inter  
misit, quod ad uictoriā pertinere uideretur. Verū cum principū Saxoniæ  
discordia copiæ dissoluerentur, atq; fortuna Cēſari arrideret, ita ut nullū alien  
de p̄fidiū Vlmensibus esset expectandum, ipse suis author fuit, ut cū Cæ  
fare in gratiam redirent, atq; urbem metu obsidionis liberarent. Cum hoc mo  
do Sebastianus pro patria multos labores & pericula subiūſſet, atque Alberto  
marchioni restituisse, tandem ueneranda canitie conspicuus obiit, atq; filios et  
agnatos patri similimos reliquit, qui hodie magna dexteritate cum alijs p̄  
claris uiris reipublicæ Vlensi ornamēto existunt. Sleid. Anon.